

C. Si hic. C. Sic quidem. C. Novem. int.

non possit disponere de rebus spiritualibus, ut sunt oblationes, & restator non potest apponere conditiones juri contrarias, cap. Si ex laicis, cap. Sic quidem, cap. Novem, 10. quast. 1.

128.

Loquendo tamen de Ecclesiis subjectis Ordinario, si talis conditio apposta à testatore sit approbata ab Ordinario, tunc subsistit, quia ex officio disponit de iis, quæ sunt sub jure suarum Ecclesiarum. cap. Sic quidem, 10. quast. 1. Potest enim statuere, quod oblationes convertantur in usus institutos à testatore, sic & Prælati Monasterii in hoc eodem casu, talia præstare potest, cum illius sit consentire, de cuius commodo agitur.

C. Sic quidem.

Bonacina. Pellizar.

Bonacina de Alienatione, disp. 2. quast. unica, punct. 2. num. 6. Pellizar. tract. 6. cap. 8. n. 32. §. Concedo tamen.

QUÆSTIO XXV.

An Regulares possint alienare capellas suæ propriæ Ecclesiæ?

SUMMARIUM.

129 Capella Ecclesiarum non possunt vendi quoad dominium, maxime quoad usum.

130 Locus Ecclesiæ diruta, si est inutilis Ecclesiæ nova, potest vendi.

131 Jura annui redditus, actiones servitutis, non possunt alienari.

129.

Dico, quod stante prohibitione Apostolica, non possunt Regulares vendere capellas suarum Ecclesiarum, ita ut earum dominium transferatur ad extraneos, possunt tamen illas concedere in usum ipsorum, verbi gratia, in sepulturam. Ita Quaranta, Menochius, & alii, quos citat, ac sequitur Riccius deo. 42. quibus adde Bonacina de Alien. disp. 2. quast. unica, punct. 2. num. 12. M. Lezana cap. 19. num. 16. Probatur prima pars: quia capellæ sunt bona immobilia Ecclesiastica, proindeque comprehenduntur sub hac generali prohibitione. Secunda pars ex communi praxi verificatur. Deinde illæ sunt ad usum secularium; concessio autem illarum solum ad usum non est alienatio.

Quaranta. Menoch. Riccius. Lezana. Bonacina.

130. Riccius. Dicastil.

Riccus citatus; & alii, quos citat, ac sequitur Dicastil. de iustitia, lib. 2. tract. 15. disput. 1. dub. 6. num. 31. de loco in quo fuit condita Ecclesiæ, quæ modo diruta, ac destructa est, adhuc enim censetur Ecclesiæ locus, & inde sine debita solemnitate alienari non potest; ita citati Auctores. Tamen aliter mihi dicendum videtur, si talia loca, in quibus fuit Ecclesiæ, sunt omnino inutilia, ac nullius commodi Ecclesiæ novæ, bene possunt alienari sine ulla solemnitate, ut supra diximus & docent citati Auctores de bonis immobilibus, quæ tractu temporis sunt inutilia supra, quast. 2. 2. n. 114. & 115.

131.

Dicendum est etiam, quod sine debita solemnitate non possunt alienari bona incorporata, ut sunt jura, actiones, & servitutis annui redditus; & cætera similia, nam us ad res immobiles pertinet, & inter eas

computatur, proindeque comprehenduntur in generali prohibitione. Sylvester Bonacina. Valquez, Molina, Quaranta, & alii, quos citant, ac sequuntur M. Lezana tom. 2. cap. 26. n. 56. Dicastil. citatus, n. 313.

Sylvest. Bonacina. Valquez. Molina. Quaranta. Lezana. Dicastil.

QUÆSTIO XXVI.

An Regulares, non obstante prohibitione Apostolica, possint repudiare hereditatem Monasterio relictam, non servata solemnitate requisita ad alienationem?

SUMMARIUM.

131 Prima sententia est negativa.

133 Secunda affirmativa.

134 Tertia distinctione utitur.

Dixi sunt sententiæ in hac re. Prima contendit, quod talis alienatio fieri non potest. Molina tract. 2. disp. 468. num. 11. Filiuc. licius tract. 44. cap. 4. num. 34. Azor. part. 2. lib. 9. cap. 1. quast. 12. Quaranta verb. Alienat. n. 25. Naldus verb. Alienat. num. 5. & alii apud Sanchez lib. 6. de matrimonio, disp. 4. num. 11. & 12. Probatur; quia legatario mortuo, ipso jure legata sunt legatarii, licet ab ipso, non apprehendantur; pro quo multa juris loca adducit citatus Filiucius: sed quæ ipso jure sunt Ecclesiæ, ab ejus Rectore alienari non possunt ergo nec ista legata repudiari.

132.

Molina. Filiuc. Azor. Quaranta. Naldus. Sanch.

Secunda sententia ex opposito affirmat, quod talis alienatio fieri possit non servata solemnitate juris requisita. Ita Sanchez citatus, num. 12. Suar. tom. 4. de Religione, tract. 8. lib. 2. cap. 27. num. 18. Layman, Bonacina, Peirin. Lezana tom. 2. cap. 19. num. 6. quos citat, ac sequitur Pellizar. tract. 6. cap. 8. num. 6. Probatur: Quia in jure solum prohibetur alienatio bonorum Ecclesiasticorum; repudiatio autem legati, aut hereditatis nondum rei acceptatæ, potius est non acquisitio, quam alienatio; cum alienatio sit distractio rei jam incorporatæ, qualis non est hereditas nondum acceptata.

133.

Sanchez. Suarez. Layman. Bonacina. Peyrin. Lezana. Pellizar.

In hac tamen re distinguendum puto. Si hereditas repudiatur ob negligentiam Rectoris, vel ut ipsa hereditas transeat ad alios forte suos consanguineos, vel amicos, vel ex aliquo dolo facto inito, tunc procedit prima sententia, quia illa est dolosa alienatio juris jam acquisiti in præjudicium Ecclesiæ; quod Constitutiones Apostolicæ maxime intendunt evitare, si vero talis hereditas secum involvit lites, & controversias, & odia, tunc secunda sententia habet locum quia illud jus non est planè acquisitum, sed litigiosum, quod secum multa portat incommoda, & jus quod est constitutum in favorem Ecclesiæ non potest verti in ejus præjudicium.

134.

QUÆSTIO XXVII.

In quas poenas incidant Regulares alienantes bona Ecclesiastica?

SUMMARIUM.

135 Alienantes peccant mortaliter.

136 Alienantes inveniunt in excommunicationem non reservatam, si ex dolo, non vero si ex ignorantia.

137 In nullam excommunicationem inveniunt ex Tridentino.

138 Episcopi & Abbates inveniunt in interdictionem ab ingressu Ecclesiæ.

139 Alii Prælati prator excommunicationem inveniunt privationem suorum officiorum.

140 Quia dicitur, absque aliqua declaratione, in foro interiori statim ligat.

141 Et præter prædictas poenas talis contractus est irritus.

142 Ad incurrendas prædictas poenas requiritur realis alienatio; & non sufficit attentata, etiam cum instrumento.

135.

Galetan. Quaranta.

136. Extravag.

Quaranta. Lezana.

Gavant.

137. Leo.

Filiuc.

Bonacina.

138.

Pro bona intelligentia hujus rei videntur ea, quæ ex decretis Summorum Pontificum retulimus quastione 2. & 3. & Primò: alienantes peccant mortaliter, & committunt sacrilegium, cum irreverenter se habeant erga res sacras Deo dedicatas. Caietanus in summa, verb. Excommunicatio, cap. 75. Quaranta in summa Bullarii, verb. Alienatio num. 49.

Secundò: incurrunt in sententiam excommunicationis, ut expressè dicitur in Extravaganti Ambrosio: & cum ibi Pontifex Paulus I. usus sit illo verbo: presumpserunt: ideo non inveniunt in censuram, nisi qui malitiosè, ac cum dolo alienationem fecerint; non vero qui ex ignorantia probabili, vel culpabili talem alienationem perpetraverint. Quaranta verb. Alienatio, numero 50. Lezana eodem verbo, num. 20. Hæc autem excommunicatio nulli est reservata, & patet ex contextu, ut omnes notant. Gavantus in manuali, verb. Alienatio, num. 28. Unde Prælati regulares in foro conscientie possunt absolvere suos subditos, & Confessarii suos penitentes.

Franciscus Leo in Thesoro fori Ecclesiastici, cap. 15. num. 8. §. Nota circa. Ait, quod quamvis illa excommunicatio non sit reservata in Extravaganti, est tamen reservata in Concilio Tridentino sess. 22. cap. 11. Sed Concilium ibi solum loquitur de usurpantibus, ac convertentibus in proprios usus bona Ecclesiarum, ac proinde prædicta doctrina non est extendenda ad simpliciter alienantes, Filiucius tract. 44. cap. 6. num. 38. Dico secunda. Bonacina, de Alienatione, disp. 2. quast. unica, punct. 2. n. 9.

Episcopi, & Abbates alienantes bona Ecclesiastica inveniunt in interdictionem ab ingressu Ecclesiæ, & etiam suspensionis à regimine, ac administratione suæ Ecclesiæ, seu Monasterii, cui præsidet in Spirituali Sylvestre Opuscula.

bus; & temporalibus, eo ipso incurrenda; si sex mensibus elapsis sequentibus sub interdictione hujusmodi animo perseveraverint indurata.

139.

Alii vero Prælati inferiores prædictas alienationes facientes, præterquam quod inveniunt in excommunicationem, ut supra diximus, non reservatam, addit tamen Pontifex, quod Prælati tales alienationes facientes, inveniunt in poenas privationis suorum officiorum, ac inhabilitatis in posterum ad illa, absque aliqua declaratione, & quamvis prædictæ poenæ privationis ex vi Extravagantis non sint reservatæ, cum, sine sufficienti ratione induci non debeat reservatio in poenis, ut infra dicemus, tamen ex decreto Sacræ Congregationis sub Urbano VIII. de quo q. 3. sunt reservatæ, ut Urb. VIII. constat ex illis verbis: Sublata etiam generali, & particulari illas moderandi, aut relaxandi facultate, ex quo Sedi Apostolicæ reservatæ censendæ sunt, ut notant M. Lezana verb. Alienatio, num. 22. Pellizarius tract. 6. c. 8. n. 4. ad finem.

140.

Quia vero in dicta Constitutione dicitur, quod absque ulla declaratione incurrant in dictas poenas, ideo valde communis, & recepta est sententia, quod tales poenæ incurrantur saltem in foro conscientie ante omnem declarationem. Et ratio est, quia nihil aliud videtur intendere Pontifex, ac lattores harum legum, dum his terminis utuntur, nisi quod nulla expectetur sententia ad hoc, quod illæ poenæ teneant in foro conscientie: nam aliàs superflue apponeretur illa clausula. absque ulla declaratione. Suarez. lib. 5. de leg. cap. 8. Valquez 1. 2. disput. racione 170. licet tamen in foro exteriori, sententia declaratoria iudicis requiratur, quia nullus tenetur in se ipsum exequi poenam sui delicti. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 1. §. Sanchez. num. 65.

141.

Præter prædictas poenas, ponitur etiam irritatio alienationis factæ sine legitima solemnitate inducta; tum in citata Extravaganti, tum in decreto Sacræ Congregationis quastione 3. & tenet absque alia sententia vel declaratione, cum id in ipsa lege satis aperte explicetur, ut talis irritatio proprie non sit poena, ut ad incurrendam desideretur sententia, sed inducta est ad præcavendum, ne aliter fiat & ideo factum constitutioni Suaribus Apostolicis, est nullum. Ita Suar. tom. 4. de Religione, tract. 8. lib. 2. cap. 27. num. 20. Navar. contra Navarrum Commentar. de Alienatione Ecclesiastica. num. 15. & sequentibus; & alios existimantes, interveniente justa causa, ac utilitate Ecclesiæ ob solum defectum solemnitatis omittæ in alienandis Ecclesiæ bonis, non esse invalidum contractum: cum solemnitas prædicta posita sit ad præsumendam justam causam, & consequenter ubi intervenit veritas cessat præsumptio. Hæc dixit Navarrus: non vidit ipse decretum Sacræ Congregationis reservantis sibi iudicium cognoscendi de utilitate, ac vera causa ad alienandum, ut diximus cum communi sententia supra, q. 5.

142.

Si vero quæras: an ad incurrendas prædictas poenas requiratur realis alienatio, an sufficiat



Filliucius. Navar. Covar. Cap. si quis.

ficiat attentatio : instrumento facto: recte respondet Filliucius tract. 44. cap. 6. ex Navar. & Covaravia, requiri realem rei traditionem, & colligitur ex cap. Si quis Presbiter, de reb. Eccles. non alienand. & ex eo probatur, quia regulariter pœnæ impostæ intelliguntur, de acta perfecto; ac consummato, qualis non est attentatio alienationis, non secato effectu; hæc diximus regulariter, qui attentantes, consulentes, & consentientes in infundationem locorum Sedis Apostolicæ, ipso facto excommunicantur, etiam effectu non secato, ut notat idem Filliucius loco citato.

QUÆSTIO XXVIII.

An bona Confraternitatis, Collegii, Congregationis, ac Hospitalis alienari possint?

SUMMARIUM.

- 143 Eorum bona non possunt alienari, si sint auctoritate Episcopi fundata, secus si sine illa.
144 Si dubitatur, an sit erectum auctoritate Episcopi, affirmativè præsumendum.
145 De alienantibus bona Confraternitatis.

143. Hujusmodi bona Confraternitatis, Collegii, Congregationis, Hospitalis constituti, ac erecti auctoritate Episcopi, non possunt alienari sine debita solemnitate, sunt enim loca pia, illa enim reputantur esse pia loca, quæ Episcopi auctoritate sunt erecta, ac fundata. In Extravaganti. autem Ambrosio: expressè irritatur alienatio piorum locorum: aliter verò dicendum de Confraternitatibus Hospitalibus, Congregationibus, aliisque similibus locis fundatis sine auctoritate, ac licentia Episcopi? hæc enim inter pia loca non recensentur. Ita Riccius decis. 48. Rodoan. quest. 28. Quaranta verb. Alienatio, num. 28. & 41. Cardinalis Parisius, Soporanus, quos citat, ac sequitur Bonacina de Alienat. bonor. Eccles. disp. 2. qu. unica, punct. 2. num. 10.

Extravag. Riccius. Rodoan. Quaranta. Rota. Riccius. Soporan. Bonacina. Filliuc.

144. Si verò in dubio habeatur an talis hospitalis, vel domus sit erecta auctoritate Episcopi, Respondendum est cum Mascardo tom. 1. de probat. conclus. 869. Quaranta citato loco Rota decis. 725. divers. 1. Riccio, Soporano, ac aliis apud citatum Bonacinam, & Filliucium tract. 44. cap. 4. quest. 18. & aliis, præsumi auctoritate Episcopi erectam; ad quam præsumptionem juvat.

145. Primò, si habeat, vel ibi sunt sepulturae; Cæmeterium.
Secundò, si in ea administraretur Baptismus Tertio, si recipiat decimas, vel sit locus immunitatis à solutione collectarum.

Quartò, si habeat Campanile erectum cum campana, ibique divina celebrentur, Alienantes autem hujusmodi bona. Confraternitatum, incidunt in pœnas Extravagantis Ambrosio: sunt nempe excommunicati, excommunicatione majori non reservata, simulque habent privationem suorum officiorum, ac dignitatum.



RESOLUTIO VIII.

Altare.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid & quotuplex sit Altare?

SUMMARIUM.

- 1 Etymologia nominis Altaris.
2 Altare duplex, definitio portatilis.
3 Altare stabile, illius definitio.
4 Altare saltem majus quantum fieri potest, debet respicere Orientem.

ALTARE ab altitudine dictum nam ut testatur Thesaurus lingue Latinæ, antiqui Diis superis in ædificiis à terra exaltatis sacrificabant: Diis terrestribus, in terra: Diis inferis, in fossa terræ. Altare ergo idem est, ac Alta ara, & ut ait Varro Divinarum, lib. 5. Aras primum, ansas dictas; quia sacrificantes tanquam velut per ansam necesse erat eas tenere; commutatione verò literarum, aræ postea ceperunt dici: Ara autem dicitur à verbo Græco, quod est orare, quia sacrificantes orabant. De quo latè Durandus in rationali, lib. 1. cap. 2. & 7. & cum aliis multis Bellarm. tom. 3. Controvers. lib. 1. de Missa, cap. 14. verb. Denique. Aliis placet, quod altare dicitur, id est; Alta res.

Duplex est altare, unum portatile, quod transferri potest de loco ad locum; & ex hac ratione cap. de Privileg. in 6. vocatur Viaticum, ad l. Can. Concedimus de consecratione. Appellatur: Tabula consecrata: vulgo dicitur Petra ara: Definiturque communiter Parvus lapis, continens in se foramen, cum consecratione ac signo superposito; requiritur, quod sit capax pedis calicis, ac hostiæ consecræ. Ita Durantes, Grassis, Petrus Gregorius, Suarez, Henriquez, quos citat, ac sequitur Fagundez de quinque præceptis, p. 1 lib. 3. c. 22. n. 1.

Alterum altare est fixum, & immobile, quale in Ecclesiis habetur communiter; definiturque potest: tota mensa, in qua integrum sacrificium, seu tota Missa celebratur. Ita Sylvester, Azor Fuscus, Henriquez, Bellarminus, Lambertus, Lotter, & alii, quos citant ac sequuntur Barbosa de potest. Episc. part. 2. allegat. 27. num. 20. Tamburinus de jure Abbatum, tom. 1. disp. 23. quest. 4.

Altare, saltem majus, debet Orientalem mundi plagam respicere, ex antiqua Ecclesiæ consuetudine hoc servatum est, ut versus Orientem constitutur, Parisius in praxi nova Episcopali, part. 1. cap. 5. num. 2. Azor. Instit. Moral. part. 1. lib. 9. cap. 3. quest. 12. Bonac. de Sacrament. disp. 4. quest. ultima punct. 4. n. 13. verb. Præterea, Barbosa citatus, num. 32. oppositum tenet Valquez in 3. part. disp. 233. cap. 2. num. 19. Ubi ait, hoc non esse necessarium, & aliquando observatur in praxi; nam in hac civitate

1. Thesaur.
2. Varro.
3. Græcus. Durand.
4. Bellarm.
5. C. de Priv. Can. Conc.

civitate illustrissimi conventus S. Francisci, S. Antonii, Capucinatorum, & B. Mariæ Virginis de Penha de Franca Ordinis Eremitarum S. Augustini altare majus versus est ad occidentem; ad proinde quantum fieri potest, constituitur debet ad Orientem; tamen si ratione situs loci, meliorisque dispositionis Ecclesiæ adificetur, ut respiciat Occidentem non video in hoc magnum inconveniens.

Cum ergo duplex sit Altare, portatile, & stabile, portatile necessarium est, quod sit lapideum, & consecratum; stabile verò si sit torum lapideum potest esse consecratum, & non potest esse ligneum, vel terreum; ut patet ex cap. Altare, de consecrat. dist. 1. est enim signum Christi, qui dicitur Petra 1. Cor. 10. num. 4. Si verò non sit lapideum, & per consequens, nec consecratum, indiget Altari portatili, seu petra aræ, ut notat Azor. tom. 1. Instit. Moral. lib. 10. cap. 17. quest. 2. Et tunc potest esse ligneum, vel terreum, non obstant e confirmatione Synodali, ut notat Barbosa in collect. Bullar. verb. Altare.

C. Altare. 1. Cor. 11.
Azor.
Barbosa.

QUÆSTIO II.

An Altaris consecratio in omni casu pertineat ad Episcopum, & qualiter Religiosi se debeant habere cum eis?

SUMMARIUM.

- 5 Consecratio Altaris, seu petra ara ad solum Episcopum pertinet.
6 non potest Episcopus simplici sacerdoti committere.
7 Si Episcopus requisitus à Religiosis pro altaris consecratione renuerit, poterunt vocare alium Episcopum Catholicum, n. 8.
9 In locis remotissimis possunt vocare Episcopum transuentem.

5.
Henric. Suarez.
6.
Azor. Lotter. Reginald. Barbosa.
7.

Sixtus V. Leo X. Trident.

Lezana.

Consecratio petrae aræ, sicut Calicis, & patenæ, ad solos Episcopos ex jure spectat, ex privilegio, solus Summus Pontifex potest concedere, ut per simplicem sacerdotem fiat. Ita Henric. lib. 9. c. 28. §. 1. Suarez. tom. 3. n. 3. part. disp. 81. sect. 5. verb. Tertio additur.

Et in tantum consecrare altare pertinet ad Episcopum, ut hæc facultas non possit per Episcopum simplici presbytero delegari; hoc autem proprium est Ordinis Episcopalis, & non jurisdictionis, Azor. Lotter Reginaldus, quos citat, & sequitur Barbosa de potest. Episc. allegat. 27. num. 23.

Tamen si Ordinarius bis, aut ter requisitus à mendicantibus intra diocesium existentibus pro suorum altarium consecratione renuerit, possunt adire quenquam Catholicum Episcopum ad id peragendum: ex concessione Sixti V. & Concilii Lateranens. sub Leone X. & hoc non est revocatum per Concilium Trident. sess. 6. cap. 5. de reformatione. Nam hic casus ob necessitatem videtur per episcopum exceptus, ut notat Lezana verb. Altare, num. 5. Deinde, quia etiam Concilium revocaverit omnia privilegia Regularium, hæc tamen facultas, potius est jus commune, quam privilegium, quia cap. 1. de supplenda negligentia Prælatorum; expresse decernitur, quod si Episcopus diocesanus ter requisitus noluerit Abbatibus benedicere, poterunt suos monachos benedicere, & alia, quæ ad eorum officium spectant exercere; & subdit Textus: Donec Episcopi suam duriciem recognoscant; quæ decisionis ratio etiam in nostro casu militat, posita necessitate, ubi enim militat eadem ratio stat eadem juris dispositio. Rodriguez tom. 1. g. 19. Rodrig. art. 4. Miranda in manuali Prælatorum, tom. 2. Miranda. quest. 39. art. 1. concl. 3. Azor. tom. 1. lib. 10. c. 7. quest. 5. 4. & 6.

Idem dicendum est etiam, Sede vacante, si Episcopus fuerit requisitus à fratribus ex Sixto IV. Eugenio I V. apud Bullarium, ut notant citati Auctores; & Hieronym. Rodrig. Resol. 6. num. 2.

Quia sæpe in locis remotissimis, ut in India, & Brasilia non est copia Episcoporum, hoc privilegium concessit Sixtus IV. nostris Sixtus IV. Carmeliticis in bulla dum attenta: & idem etiam Augustinianis, refert Rodriguez citata Rodrig. quest. 19. art. 4. Quia verò interdum propriorum Episcoporum, copiam non habent, si quos Episcopus Romana sedis communionem, & gratiam habentes, de quibus plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eis benedictionem vasorum, & vestium & consecrationem altarium, auctoritate sedis Apostolica recipere valeatis, & quamvis Rodriguez citatus dicat, Rodrig. quod ad executionem hujus privilegii requiritur licentia Diocesanæ, propter decretum Concilii Tridentini, tamen hoc mihi non videtur verum, & ratio est, quia casus privilegii militat, quando non est copia Episcoporum, & si in partibus remotissimis non est altare consecratum, & est necessitas celebrandi, tunc transiens Episcopus Catholicus bene notus, potest altaria fratrum consecrare, quæ tamen non sunt revocata per Concilium Trident. notat Lezana citatus n. 4. & deventrat ratio adducta supra n. 8.

C. 1. de fr. latorum.
Rodrig.
Miranda.
Rodrig.
Rodrig.
Rodrig.
Rodrig.

QUÆSTIO III.

Utrum Abbates, & alii religiosi habeant ex privilegio, altaria consecrare?

SUMMARIUM.

- 10 Abbates ex multis privilegiis possunt altaria consecrare.
11 Objectio ex decreto Congregationis.
12 Solvitur prædicta objectio.
13 Hæc facultas concessa Abbatibus non extenditur ad Prælatos aliarum Religionum.
14 Privilegium Pauli III. Presbyteris Societatis Jesu in terris remotissimis infidelium.

Religiosi, etiam Abbates, ex jure non possunt consecrare altaria, patenas, & calices, ut patet ex cap. Abbates juncta Glossa verb. Censura de privilegiis in 6. bene tamen

10. C. Abbates. Glossa.